DE RE PUBLICA AC MAGISTRATIBUS MEGARENSIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDEFICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MELCHIOR THAMM

SILESIENSIS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT CAROLUS COLBATZKY.

MDCCCLXXXV.

PARENTIBUS

ET

AVUNCULO A. MÜNZBERGER

CARISSIMIS.

Omnium fere, qui in antiquorum institutis moribusque depingendis studia collocaverunt, oculi in Atheniensium potissimum et Lacedaemoniorum civitates conversi sunt, quoniam horum et potentia fuit maxima et res gestae dignissimae, quae accuratius investigarentur; accedit quod novis semper titulis repertis nunquam fere materia disputandi deficit. Ad eas omnes regiones, quae ab antiquis rarius commemorantur, pauci sunt, qui studia contulerint; neque id mirum; nam si quis eius civitatis regionisve, quae haud ita multum valuit res perscrutari, instituta describere, mores delineare animum inducit, facile ingrata monumentorum inopia destituitur, facileque sibi persuadet, talem dissertationem undique qnasi spinis obsaeptam esse, ut paene de enodandis difficultatibus desperandum sit, praesertim cum e paucis passim dispersis testimoniis accurata apteque conexa rerum notitia non possit hauriri fierique nequeat, quin ad conjecturas descendatur. Tamen ne hac pusillae quidem disputationes carent commendatione, quarum prima est ea, quod in studiis antiquitatis nihil est tam abjectum, nihil tam reconditum, ut non alicuius momenti esse videatur; neque quidquam tam inane et futile est, ut despiciatur; deinde eiusmodi disputationes ea re commendantur, quod, quandoquidem exigua est area, facilius ad finem deducuntur, neque timendum est, ne in perscrutando diligentia et industria prius deficiat quam materia. Hisce inductus causis omnium Graeciae regionum minimam, Megarensium scilicet, equidem elegi, quoniam ad res describendas pauci adhuc accesserunt, atque ut omittam Krusium[1]), Tittmannum[2]), alios qui quasi in transitu Megarensium res attigerunt, primus Reinganum duobus libellis,

———

[1]) Kruse Hellas.

[2]) Tittmann, Darstellung der griech. Staatsverfassung.

quibus inscriptum est: „das alte Megaris, Berlin 1825“ et, „de indole atque ingenio Megarensium“ hanc materiam pectractavit, quorum libellorum alter, ut in manus mihi veniret, efficere non potui. Jam vero Gideon Vogt „de rebus Megarensium usque ad bella Persica“ egit dissertatione, quae Marburgi Chattorum a. 1857. publici juris facta est, et ita egit, ut quae poeticis magis fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, collegisse satishaberet.

Praeterea recens J. Holle quaestionem de rebus mythicis indici pensorum scholae Recklinghusanae adjecit: „Megara im mythischen Zeitalter. Recklinghausen 1881. Vides de rebus gestis Megarensium raro nec sufficienter disputatum esse. Instituta autem publica nemo, quod sciam, via ac ratione delineavit, quamquam Boeckhius, Foucartus, Rangabéius, Vischerus, alii, quos nomiare supersedeo, titulos lapidibus monumentisque incisos, unde omnem fere de re publica ac magistratibus Megarensium notitiam deducimus, jamdudum et ediderunt et explicarunt. Ideo operae pretium esse putavi, quaecunque et scriptores antiqui et imprimis tituli de institutis Megarensium memoriae tradiderunt, colligere, componere, dijudicare.

Inscriptiones Megaricae, quibus usus sum in his libris editae vel commentariis instuctae sunt:

1. *Berichte über die Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften. Berlin 1844. 1857.*
2. *Boeckh. Corpus inscriptionum Graecarum I.*
3. *Bulletin de correspond. Hellen. IX.*
4. *Bulletino dell' instituto di corr. arch. 1843.*
5. *Dittenberger, syllogr. inscr. Graec.*
6. *ἐφημερὶς ἀρχαιολογική φὺλλ. 33. 40.*
7. *Expédition scientifique de Morée III. p. 67—69.*
8. *Larfeld, sylloge inscr. Boeot. appendix.*
9. *Lebas et Waddington, voyage arch., I. et Foucart explications des inscriptions.*
10. *Mittheiluugen des deutscheu arch. Institutes zu Athen. III. VIII.*
11. *Newton, ancient Greek Inscriptions in the British Museum II.*
12. *Philologus. 1859.*

13. Rangabé, antiquités Helléniques.
14. Rheinisches Museum, 1857. 1866.
15. Vischer, Beiträge aus Griechenland.
16. Welcker, Kleine Schriften III.

Antequam disputationis initium faciam res ipsa hortari videtur, ut de oppidis Megaridis — quamquam levioris momenti quam terra fuerunt — rationibusque, quae iis cum Megaris capite intercesserint, pauca dicam, deinde quae gesserint Megarenses breviter enarrem.

De oppidis quae in Megaride sita sunt.

Megara caput jam antiquissimis temporibus arce Caria aedificata conditum, deinde ab Alcathoo amplificatum, tum tertiam partem, urbem Dorum additam esse Scymnus Chius[1]) narrat. Caput, ut haud longe distabat a mari Aegaeo, duobus portibus apud Nisaeam et Minoam constructis mercaturam faciebat magnam et copiosam.

Prope ad oram maris Halcyonii duo oppida portibus nobilia sita erant, Aegosthena in septentriones et Pagae in meridiem spectantes; praeterea Tripodiscus oppidum, per quod via ex urbe Megarorum Delphos ducebat, et Rhus et Phibalis Phalyconque loca ficis abundantia memoratu digna sunt. Oenoe, Peiraeon, Cromyon olim Megarensium tum Corinthiorum fuerunt.

Ex his igitur oppidis Megara, Aegosthena, Pagae, quippe quae mercaturis interdum floruerint et quod summum est, titulis ibidem repertis aditum ad reipublicae cognitionem etsi mediocrem patefaciant, digna videntur, quorum rationes perquirantur.

Aegosthena vicinaque fines veteris tribus Megaricae, quae vocabatur *Κυνοσουρεῖς*, complexa esse, sunt qui suspicentur; postea quoque, vel etiam exitu quarti saeculi a. Chr. Aegosthena pagus Megarorum fuit; id quod D. Korolkow inscriptione Megarica[2]) demonstravit. Nam in illo decreto, quo Aegosthenitis proponentibus Megarenses Zoilo, uni e praefectis Demetrii Poliorcetae, maximos honores tribuunt, Megara *ἡ πόλις* nominatur, itaque Aegosthenis sc. pago oppo-

[1]) Scymn. Chius. v. 501. ed. Fabricius.
[2]) Mitteilungen des d. arch. Inst. VIII, 183. p.

nuntur. Sui autem juris oppidum Aegosthenitarum factum est, quo tempore cives se ad foedus Achaicum applicaverant. Nam titulo, quem Foucartus[1]) spatio inter annos $^{280}/_{55}$ assignat, nomen regis Aegosthenitarum additum est, atque Apollodorus, civis Megarensis, ab Aegosthenitis honoratur. Hanc libertatem Aegosthena sibi asservasse videntur. Nam tituli[2]), qui exarati sunt, quo tempore Aegosthenitae foedere cum Boeotis icto, eorum formulam decernendi adhibebant, exhibent archontes et Boeotorum et Aegosthenitarum. Pegae, sive dorice Pagae, apud Steph. Byzant[3]). *παροίκια Μεγαρέων*, a Strabone[4]) *φρούριον*, a scholiasta[5]) Thucydidis *ἐμπόριον*, a Pausania[6]) *πόλις* appellantur; quibus ex diversis denominationibus concludere licet: Pagas initio pagum Megarorum fuisse, deinde florere coepisse atque sui juris factas esse; sed quo tempore hae rationes inter Megara et Pagas mutatae sint, definiri non potest, praesertim cum scriptorum libri et tituli ansam non praebeant ad dijudicandum. Imperatorum aetate oppidum liberum a Megarensibus fuisse scimus; nam Commodo imperatore jus nummos cudendi exercuit[7]).

De rebus a Megarensibus gestis.

Megarenses, cum civitatem mediam inter Athenas et Corinthum interjectam haberent, non semper suas partes agere potuerunt, sed plerumque aut alteri urbium finitimarum subjecti aut postea foederi Achaico vel Boeotico addicti erant. Dominis igitur atque quasi tutoribus persaepe mutatis, fieri non potuit, quin reipublicae status interdum everteretur, instituta publica tollerentur, nova instituerentur. Quae quoniam ad singulas institutiones plurimum valuerunt, nunquam harum conversionum rationem licet neglegere.

Quae de primordiis civitatis Megarensium traduntur, adeo in fabulas abierunt, ut quid falsi auctorum levitate ad-

---

1) Leb. No. 12.
2) Leb. 7. a. 8. 9 ect.
3) p. 547.
4) Strabo VIII p. 380, IX 400,
5) schol. I. 103.
6) Paus. I 44,6. 7.
7) Mionnet II 335. 336.

ditum, quid veri negligentia omissum sit, difficillime queat dijudicari.

Pausanias[1]) igitur primos Megaridem incoluisse Cares, deinde adventasse Leleges narrat; jam terram, cum Paudion Athenas regeret, partem factam esse Atticae testatur Apollodorus[2]). Postea cum Dorienses omnes Peloponnesi regiones occupassent, Codro occiso, in Megaridem invaserunt eoque colonos e Messenia et Corintho traduxerunt[3]), quare factum est, ut Megarenses lingua et moribus mutatis Dorienses ex Atticis fierent[4]). Eodem fere tempore Megara urbs totius regionis caput factum est; quod luculentissimis Scymni[5]), Herodoti[6]), Velleji Paterculi[7]), Strabonis[8]) testimoniis probatur. Atque cum antea regibus civitas paruisset, illis temporibus, vel paulo post sublato regno ad paucos imperium est delatum familiaeque advenarum Doriensium primis incolis imperare coeperunt. Neque tamen diu sui juris fuere; Nam cum Corinthi Bacchiadae rerum potiti essent, Megarenses, ut antea ab Atheniensibus, sic jam a Corinthiis oppressi tenebantur[9]), donec plane se liberaverunt[10]). Hoc luculenter scholiastes[11]) Platonis aliique in explicando proverbio *Διὸς Κόρινθος* enarrant. Liberati deinceps Megarenses ad non exiguam potentiam pervenerunt, opibusque ita floruerunt, ut multas colonias deducerent[12]), finesque latius proferrent; atque vel cum Atheniensibus, quorum antea in potestate fuerant, congredi potuerunt, nec sine gloria de Salamine insula certaverunt[13]), Maximum autem ad eorum opes augendas contulit Theagenes tyrannus, qui — sicuti illa aetate omni-

[1]) Paus. I, 39, 6.
[2]) Apollod. III 15. 5.
[3]) Scymn. Chius. orb. descr. 502. ed. Fabricius.
[4]) Paus. I. 39. 5.
[5]) Scymn. v. 501.
[6]) Herod. V. 76.
[7]) Vell. Paterc. I. 2.
[8]) Strabo IX. 393.
[9]) Plat. quaest. Gr. XVII.
[10]) schol. in Pind. Nem. VII 155. Müller, Dor. I. 88.
[11]) Bekk schol. p. 368.
[12]) Strab. VII, 319. 320. XII c. 563.
[13]) Paus. I 49. 5. Plut. Solon. c. 8.

bus fere in civitatibus Graeciae tyranni exstiterunt — plebis subsidio, ut erat callidissimus, usus, perfecit, ut rei publicae praeficeretur. Sed evenit Theageni, quod accidere solet tyrannis. Si quod gravius eorum sub imperio res publica detrimentum capit, si cives rebus adversis conflictantur, expelluntur. Itaque Theagenis quoque potentia, cum Salamis ab Atheniensibus recuperata esset, valde concuti et infringi coepta est; plebs vaga et inconstans, ex eventu maxime judicans, novis inhians, descivit ad aliosque favorem transtulit; nobiles rebus suis recuperandis ultro studebant, atque vel cum Lacedaemoniis[1]), qui non sine invidia efflorescere Megara viderant, sese conjunxerunt; quibus rebus factum est, ut tyrannide abolita nobilissimis potestas atque imperium restituerentur[2]). Ea, quae nunc sequitur aetate, res publica Megarensium fluctibus civilibus iactari fere nunquam desiit. Regimen optimatium, qui superbius se gerebant, nimiaqne in plebem severitate utebantur, mox in odium venit, neque ita multo post cum plebis potentia commutatum est[3]); atque quod ex Theognidis[4]) querelis et execrationibus licet concludere, ad eam licentiam et impudentiam res pervenit, ut penes abjectissimos et improbissimos homines imperium esse videretur, Quapropter optimates non sine acri labore effecerunt. ut rursus in rei publicae gubernaculis sederent clavumque tenerent. Haud ita magno intervallo tyrannidem subsecuta sunt optimatium regimen, ochlocratia, optimatium restitutio; quarum conversionum Aristoteles facit mentionem[5]). In tanta omnium rerum perturbatione mirum non est, quod opes Megarensium minutae sunt; accedit, quod bellis Persicis, quae vocantur, Megaris vexata et direpta est ab omnibus, qui ex Peloponneso in continentem, ex continenti in Peloponnesum permeabant. Megarenses autem, quamquam tot infaustis rebus oppressi et debilitati erant, tamen a discordiis civilibus non destiterunt, atque jam Periclis aetate plebs summam imperii arripuerat; quare facile intelligimus, cur a. 461. Me-

1) Müller Dor. II 166.
2) Plut. quaest. Gr. 19.
3) Müller Dor. II. 167.
4) Theogn. (ed. Welcker(V, 730—735.
5) Aristot. polit. V. 5. p. 1304 B. 35.

garenses a. partibus Atheniensium steterint[1]). Sed jam antequam bellum Peloponnesiacum conflatum est, ab Atheniensibus desciverunt et ad optimates ex exilio revocatos imperium detulerunt[2]). Ea rursus aetate, qua ducibus Epaminonda et Pelopida Thebani in Graecia primi fuerunt, in Megaride penes plebem summa imperii erat, quod inde colligere possumus, quod a. 375 optinates populi regimen evertere conati esse dicuntur[3]). Plebs autem ex hisce tumultibus superior discessit, sed ita, ut postea moderatione et sapientia in administranda re publica usi esse viderentur. Nam Isocrates[4]) — cuius quidem in talibus rebus judicium haud magni momenti est — de statu civitatis Megarensium bene, ne dicam perbene, judicat. Tamen non diu hac rerum felicitate usi sunt; Nam Philippus[5]) cum omnis Graecia post pugnam ad Chaeroneam pugnatam exanimis humi jaceret, Megara, caput regionis, occupavit, Alexander Magnus tenuit. Qui cum ex medio gloriae spatio revocatus esset, Antipater[6]), deinde Demetrius Poliorcetes[7]), tum Antigonus Gonatas[8]) et Demetrius[9]) eius filius, Megaride potiti sunt. Denique Aratus[10]), ut alias urbes ita Megaricas quoque foederi Achaico adjecit. Sed quo tempore Cleomenes, Lacedaemoniorum rex, in Isthmo castra posuit, Corinthumque occupavit[11]), Megarenses ab Achaeis defecerunt atque Boeotorum foederi se applicuerunt. Sed turbis civilibus Boeotorum commoti brevi ante bellum ab Antiocho rege cum Romanis gestum eorum societatem dereliquerunt[1]) atque denuo cum Achaeis foedus inierunt. Postremo Megaris ab Romanis

---

[1]) Thucyd. I. 105. Diod. IX, 79.

[2]) Thuc. IV, 74.

[3]) Diod. XV, 40.

[4]) Isocr. de paee § 117 (ed. Benseler).

[5]) Aelan. var. hist. VI, 3; Demosth. adv. Philipp. 4, 153; de coron. 248.

[6]) Aelian de anim. XVI, 36.

[7]) Diod. XX, 46, 3.

[8]) Aelian de anim. XI. 14.

[9]) Diog. Laet. II. 11, 4.

[10]) Polyb. II. 43, 5.

[11]) Polyb. XX. 6, 8.

[12]) Polyb. XX. 6, 9.

provinciae Achajae adjuncta esse videtur et magis magisque quae eius rei publicae propria fuerunt, evanescebant. Megara, oppidum Ciceronis aetate vici simile[1]), Trajano imperatore efflorescere coepit, quod inde concludi potest, quod in Hadriani honorem novam tribum, quae vocabatur Ἁδριανίδαι[2]), institutam esse accepimus.

Exposui, quod de rebus a Megarensibus gestis enarrandum erat, brevitati magis studens quam flumini orationis. Totam autem hanc enarrationem omittere non licebat, quod ad instituta Megarensium bene pernoscenda fieri non potuit, quin rerum gestarum quoque brevis adderetur indiculus.

Nunc ad id, quod toti dissertationi propositum est, explicandum transire in animo est.

---

1) Cic. ad fam. IV. 6. 4.
2) C. J. Gr. I. 1072.

De Megarensium institutis.

Aristoteles, quo loco[1]) de republica administranda sententiam suam prodit, tres civitatis partes, ut ita dicam, distinguit τὸ βουλευόμενον, τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς, τὸ δικάζον; quam distinctionem, quippe quae non ab ipso excogitata erit, sed ex accurata observatione institutionum, quae erant in Graeciae civitatibus, derivata, huic disputationi tamquam fundamentum subjiciendum puto ita ut

Cap. I. senatum populumque.
Cap. II. magistratus et curatores.
Cap. III. rem judiciariam exponam.
Cap. IV. quae de publicis Megarensium honoribus dicenda sint, afferam.

Cap. I.

De senatu populoque.

Megarensium civitas ita fuit temperata, ut et a senatu et a populo gubernaretur; id quod ex formulis usitatissimis ἔδοξε τᾶι βουλᾶι καὶ τῶι δάμωι vel ἔδοξε τῶι δάμωι elucet.

Sed si accuratius perscrutabimur, cognoscemus penes populum ipsum fuisse summam potestatem. Erat enim Graecorum, utpote libertatis amore inflammatorum, omnia paullo graviora reipublicae negotia ad populi universi arbitrium revocare. Itaque primum quidem populum (δᾶμον), e quo omnia quasi effluunt, describam, etsi perpauca tantum, quae certa afferre possim, me habere fatendum est.

---

[1]) Aristot. pol. IV, 14. 1297. B. 42.

De populo.

ὁ δᾶμος, cuius in titulis mentio fit, constat ex iis civibus, qui contionibus comitiisque intersunt. Itaque δᾶμος et ἐκκλησία inter se congruere solent. Suum cuique civi jus contionandi et suffragia ferendi erat. Verumtamen jure sententiam dicendi perpaucos uti solitos esse consentaneum est. Quum hoc modo populus certior factus erat, ad decernendum se parabat. Decreta cuiusvis generis praesto sunt de rebus et gravissimis et maxime exiguis. Exempla ne desint, commemoro decreta, quibus proxenia peregrinis decernitur. Haec omnia in contione deliberata sunt, tum rogationibus comprobatis — formula est ἐπεὶ τὸ φάφισμά κα κυρωθεῖ — magistratus exequi jubebantur.

Populus igitur ultimum judicium sibi reservabat de omnibus rebus, de quibus βουλὴν i. e. senatum antea deliberasse scimus.

De senatu.

Propter inopiam titulorum et scriptorum incertum est, utrum senatores Megarensium e populo electi sint an qui magistratibus functi erant, in senatum introierint. Neque pro certo habemus, quot senatores fuerint. Verum de officiis eorum certius judicare possumus. Nam de summis rebus senatui soli non licebat decernere, sed quaecunque deliberaverat, ad populum deferenda erant. Hanc rationem apud Aegosthenitas in usum venisse atque hanc necessitatem inter senatum intercessisse ac populum, tituli docent. Nam quid sibi vult formula ἔλεξεν ὁ δεῖνα προβεβωλευμένον εἶμεν αὐτοῖ [2]), nisi προβούλευμα senatorum intelligendum est? Quae formula, cum in titulis non inveniatur nisi quo tempore Aegosthenitae foederis Boeotorum participes erant, facile ab animo impetrabimus, ut judicemus Aegosthenis senatores ante initum suffragium Boeotorum more προβούλευμα tulerint. Atque Foucartus [2]) exempla eiusdem formulae in urbibus Boeoticis usitatae affert. Quae quidem ratio testimonium praebet, quam diligenter veteres decreta fecerint; atque id quoque

---

[1]) Lb. No. 1. 2. 7. C. J. Gr. I. 1570a: Bull. de corr. hell 1885 p. 318.

[2]) Fouc. explic. ad No 1.

habet magnam commendationem, quod Megarenses ex senatoribus viros eligere consueverunt, quorum judicio unaquaeque res committeretur, antequam senatus universus suffragium ferret. Hi vocabantur *αἰσυμνᾶται*.

Temporibus foederis Achaici aliud corpus ex senatoribus et magistratibus electum nomine *δημιουργοί* nobis occurrit.

Aesymnetis et demiurgis cum talis necessitudo cum senatu fuerit, de singulis nunc verba facere liceat.

De aesymnetis.

In inscriptione quadam Megaris inventa [1]) praescriptum est: *ποτί τε τοὺς αἰσιμνᾶτας τὰν βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον.* quod attinet ad scripturam alibi quidem *ῡ* littera erat usitata, sed ut Dittenbergerus adnotat [2]) Megarensium coloniarumque propria fuisse videtur huius vocis scriptura per *ι*.

Quorum aesimnetarum, quale fuisset officium, ut enuclearent, viri doctissimi operam dederunt. Atque ut omittam quidquid de vocis significatione et de origine congestum est, accedam ad aesimnetas Megarensium.

Pausanias [3]) verba facit de curia antiqua in urbe Megaris sita, cui nomen fuit *τὸ Αἰσύμνιον*. Welckerus [4]) rejicit fabulam illam, qua nomen curiae ab Aesymno quodam deductum esse narratur; immo rectius derivatur ab *αἰσιμνῶσιν* i. e. imperantibus. Aesimnetas Megarensibus jam antiquissimis temporibus haud ignotos fuisse, atque hanc institutionem Chalcedonem, in urbem a Megarensibus conditam translatam esse, verisimile est. Itaque inscriptio [5]) in illa urbe reperta non solum de aesymnetis Chalcedoniis, sed etiam de Megaricis lucem afferre potest. Quae inscriptio cum et hoc loco permagni momenti sit et ad alios magistratus illustrandos, liceat mihi nunc exhibere:

Βασιλεὺς Προμαθίων Θεοδότου
Ἱερομνάμων Ἕρμαιος Ἑρμαίου,
Προφήτας Ἀθαναίων Ἀπολλοφάν(εος)
Νομοφύλακες Ἵππων Διονυσίου,

---

[1]) Vischer, Beitr. p. 43.
[2]) Sylloge I. 218.
[3]) Paus. I. 43, 3.
[4]) Welcker prolegg. ad Theogn. p. XVIII.
[5]) C. J. Gr. II No. 3794.

Ἀθηνοκλῆς Μηνοδώρου
Ζώτιχος Ἀθηναίωνος.
αἰσ(υ)μνῶντες μῆνα Διονύσιον ἐστεφάνωσαν ἁγεμόνα
βουλᾶς Διονύσιον Διονυσίου Πολητῆας
Νικίας Μενίσκου Καλλιχορεάτης
Βύριχος Αἰσχηρδρα Ἱππωνίας
Ματρίκων Μηνίου Τριάσπιδος
Προμαθίων Προμαθίωνος Σεπρο . . .
Παυσίας Διογνήτου Ἀτθίδος
Ἀθαναίων Ἀσκλαπιοδώρου . .
Θεόφιλος Διονυσίου Ἀσωποδω(ρῆας)
Δαμᾶς Μηνοδότου . . .
γραμματεὺς βουλᾶς καὶ δάμου Μέμνων
Μενεκράτεος . . : .

In hac igitur inscriptione legimus nomina regis, hieromnemonis, trium nomophylacum praescripta. Deinde octo aesymnetae enumerantur, qui principem senatus coronaverunt; tum sequitur nomen scribae ſenatus populique. Quid igitur concludere possumus ex hoc titulo? Nempe hos octo aesymnetas cum senatu conjunctos fuisse: Deinde Boeckhius[1]) enucleavit, principem senatus, qui coronatus est, et scribam senatus populique octo aesimnetis esse adnumerandos. Decem igitur asimnetae eligebantur atque praesidebant senatui, sicut prytanes Atheniensium. Quod attinet ad munera eorum, Dittenbergeri[2]) adnotationem sequor, qua affirmatum est, eos ad tempus cotidianis senatus officiis esse functos, Senatum igitur populumque in concilium vocasse atque decreta a synarchiis accepta senatui populoque tradidisse videntur; id quod titulo illo Megarico[3]) docemur, in quo synarchiae rogationem ad aesimnetas et ad senatum populumque tulisse dicuntur.

Jam cum μῆνα Διονύσιον illi aesymnetae Chalcedonii senatui praefuerint, patet eos menstruos fuisse praesides senatus,

---

[1]) C. J. Gr. II p. 973.
[2]) Sylloge I 218.
[3]) Vischer Beitr. No. 47. Leb. 35a.

De demiurgis.

Hic magistratus Peloponnesiis notissimus in duobus titulis, Megaris et Aegosthenis inventis, nobis occurit. In titulo Megarico, quem D. Korolkowius[1]) edidit atque tempori, quo Megara foederi Achaico addicta erant, assignavit, nomina quinque demiurgorum atque scribae leguntur. In titulo[2]) Aegosthenitarum cum nomen scribae eponymi sc. foederis Achaici atque tempus verbis *μηνὸς τρίτου* more Achaeorum definitum videamus, haec quoque inscriptio tum cum Aegosthenitae foederis Achaici participes essent, exarata esse videtur. Neque falso Foucartus[3]) eam spatio inter annos 280—255 assignari vult, quo Aegosthenitas, etsi Megara ipsa postea ab Arato foederi adjuncta sunt[4]), ad Achaeos descivisse suspicatur. Quod si verum est, et Megarenses et Aegosthenitae illum magistratum, quippe qui Livio[5]) auctore summo honore fuerit apud Achaeos, instituisse videntur. Qualis putandus sit hic magistratus non satis liquet. Nam inter grammaticos explicant Hesychius s. v. *ἄρχοντας παρὰ τοῖς Δωριεῦσι* et. Etym. magn. 265, 46. *οἱ περὶ τὰ τέλη*. Sed falsam esse explicationem Sauppius[6]) exponit. Nam apud Thucydidem[7]) *οἱ δαμιουργοὶ καὶ οἱ τὰ τέλη ἔχοντες* apud Eleos inveniuntur et in titulo quodam, Andaniae[8]) exarato, *ἄρχοντες* et *δημιουργοί* diversi sunt. Sed vix opinor neges, si conferas Thucydidis locum, eos prytanum Atheniensium esse similes atque apud Achaeos conciliis praeesse; praeterea eponymiae demiurgos participes fuisse docemur compluribus titulis[9]). Rectissima igitur Sauppii[10]) conjectura videtur, ex eorum concilio, quibus res publica administranda mandata erat.

---

[1]) Mitteilungen des deutsch. arch. Instit. zu Athen, 1883 p. 191.

[2]) Leb. No. 11. Rang. No. 704. Welcker kl. schr. III 242.

[3]) Leb. No. 12 (Fouc. explicc. des inscr.)

[4]) Polyb. II, 43, 5.

[5]) Liv. 32, 22; 38, 30.

[6]) Abhandlungen der kgl. Gesellsch. der Wiss. in Göttg. 1860 p. 249.

[7]) Thucyd. V 47.

[8]) Abhandlungen der kgl. Gesellsch. der Wissensch., Göttg. 1860, p. 227.

[9]) C. J. Gr. I 1567. II. 2653. alias.

[10]) Sauppe l. c.

delectos eos esse ad munera cotidiana exequenda et officia perpetranda. Itaque non mirum est, quod in titulo supra jam citato demiurgis Aegosthenitarum mandatum est, ut decretum incidendum atque columnam ponendam curarent.

Cap. II.

De magistratibus et curatoribus.

Megarensium magistratuum varia genera fuerunt; quorum singulorum naturam atque officia definire difficillimum est. Neque plerumque certis testimoniis cognoscitur qua ratione, quod in temporis spatium creati sint. Itaque facere non possum, quin nonnunquam ad analogiam, quae vocatur, et ad conjecturas recurram.

Inter magistratus distinguendi sunt majores, i. e. qui eponymi sunt vel eponymis plerumque adscribuntur; deinde minores, tum sacerdotales. Accedit quoddam genus civium, quibus ad certum tempus cura alicuius rei populi jussu mandatur; cuius generis sunt theori; hos omnes, qui non magistratus quidem sunt, sed magistratuum similes, postremo loco tractabo.

Dicimus igitur hoc capite:

A. de magistratibus eponymis;
B. de magistratibus minoribus;
C. de magistratibus sacerdotalibus;
D. de curatoribus et theoris.

Sed antequam de singulis disputem mentionem faciam synarchiarum, quippe quae ex magistratibus consociatis constiterint.

De synarchiis.

In duabus incriptionibus synarchiae commemorantur. In altera[1]) Aegosthenis inventa synarchiae rogationem de hospitio publico in civem Megarensem conferendo ad senatum ferunt, in altera[2]) synarchiarum Megaricarum consilio lau-

[1]) Rang. No. 704.
[2]) Vischer Beitr. No. 47 Leb. 35a.

datur et honoratur Hicesius, classis Pergamenae dux. Praeterea verbis Aeneae Tactici[1]) demonstratur, synarchias apud Megarenses fuisse.

Jam quaeritur, quid de synarchiis sit judicandum. Boeckhius[2]) explicat: collegium si magistratuum est, dicitur *συναρχία*, collegae *συνάρχοντες*, *σύναρχοι*. Recte igitur Vischerus[3]) *συναρχίαν* collegium magistratuum eiusdem nominis atque officii, veluti praetorum, *συναρχίας* compluria eiusmodi collegia, quae conjunctim de aliqua re deliberarent interpretatus est, Atque Rangabéius[4]) quidem hos ita interpretatur, ut magistratus conjunctos ad populum tulisse statuat; quod quidem mihi placeat, si Rangabéius magistratus majores intelligi velit. Erat igitur collegii. leges et decreta, deliberatione inter se habita, senatui populoque proponere. Atque Aristoteles[5]) non de Megarensibus, sed nulla certae civitatis mentione facta docet: *καὶ ἐν ἄλλαις δε πολιτείαις βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι, εἰς δὲ τὰς ἀρχὰς βαδίζονται πάντες κατὰ μέρος.* Apud Megarenses decreta a synarchiis ad aesimnetas et senatum populumque deferuntur; quod vero in illa inscriptione Aegosthenica solum senatum populumque legimus, non mirum est; nam aesimnetae senatores ipsi atque delecti quidem sunt. Quae cum ita sint, Welckero[7]) assentiri non possum, qui synarchias loco aesymnetarum fuisse censet. Nam si in titulo illo Megarico decretum a synarchiis defertur ad aesimnetas et senatum populumque, fieri non potest, ut synarchiarum nomine ipsi aesimnetae intelligantur.

Denique quo tempore synarchiae primum in Megaride institutae sint, non liquet. Sed dubium non est, quin temporibus foederis Achaici valde floruerint. Nam hanc institutionem in illo foedere late patuisse ex Polybio[7]) notum est.

---

1) Aen. Tact. cap. 4.
2) C. J. Gr. I. p. 610.
3) Vischer Beitr. p. 14.
4) Rang. No. 704.
5) Aristot. pol. IV. 14. 3. 1298 A. 14.
6) Bulletino dell' instit. 1843.
7) Polyb. XXVII 2. 11. XXXVIII 5, 4.

A, De eponymis.

Graeci ad annum definiendum libenter nominibus summorum magistratuum uti solebant; quod quidem etiam in Megarenses et Aegosthenithas cadit, ita ut plerumque eponymus vel complures addantur. Interdum quo certius tempus definiretur nomen mensis appositum est, velut in titulo Aegosthenico[1]) more Achaeorum significatio *μηνὸς τρίτου* invenitur. Inscriptio[2]) Pagis inventa affert verba *μηνὸς Πανάμου*; hoc loco mensis Megarensium intelligendus esse videtur et sine dubio appositus, propterea quod Megarensium et Achaeorum et fortasse Boeotorum eponymis, utpote diversis temporibus magistratus ineuntibus, simul commemoratis, facile errari potuit, nisi accuratior temporis definitio adderetur. Apud Megarenses eponymi habendi sunt rex, praetores, scriba senatus populique, deinde archon et polemarchi; denique liceat mihi boeotarchum adjicere, cuius nomen adscribi solet ea aetate, qua Megarenses foederis Boeotici denuo participes erant.

De rege.

Omnibus fere narrationibus de antiquissimis Megarensium rebus regum nomen atque auctoritas immixta est. Urbes et arces ab iis conduntur conditaeque appellantur; aliorum deorum cultus aliique ritus advehuntur. Inter reges Car[3]) primus fuisse atque arce Caria aedificata Cereris cultum introduxisse fertur. Deinde commemorantur Lelex[4]), Cleson[5]) Pylas[6]), Pandion[7]). alii. Ultimus autem Hyperion[8]), Agamemnonis filius. e gente Pelopidarum fuit. Qui cum propter avaritiam et petulantiam occissus esset, magistratus a Megarensibus creatos esse Pausanias fabulatur. Ab uno igitur imperium ad complures delatum atque respublica libera in-

[1]) Leb. No. 12. Rang. 704. Welcker kl. schr. III 242 p.
[2]) Leb. No. 17. Ross. Ber. der Berlin. Acad. 1844. p. 162.
[3]) Paus. I. 39, 5. 40, 6.
[4]) Paus. I. 39, 6.
[5]) Paus. .1 39, 6.
[6]) Paus. I. 5, 3. I. 39, 4, 6.
[7]) Paus. I. 39, 6. Apollod. III. 15, 5. 3.
[8]) Paus. I. 43, 3.

stituta est. Quin etiam Apollinis consensu mutatatio est sancita. Aesymno enim uni e nobilibus, Pausania auctore [1]) Pythia respondet, res prospere Megarensibus cessuras, si compluribus magistratibus uterentur. Licet singula historiae fide careant, tamen subesse huic narratiunculae, quae veritatis speciem prae se ferant, nemo negabit. Neque controversia esse potest, quin res tum aliquantum sint novatae. Sed ut persaepe fieri solet, quaedam ex inveteratis institutionibus sine dubio asservatae sunt. Atque primum quidem regis nomen regno sublato in unum ex magistratibus, atque summum quidem translatum esse, verisimillimum est. Nam Chalcedone [2]) et Byzantii [3]) rex in numero magistratuum invenitur. Quae coloniae, cum jam septimo saeculo a. Chr. n. a Megarensibus deductae sint colonique, ut alibi, domestica instituta secum transtulerint, suspicari licet, regem antiquissimum magistratum Megarensium fuisse. Accedit, quod hic magistratus non solum vestutate praevalet, sed etiam usque ad tempora posteriora viget. Bacchiadarum regno jam rex a Zenobio [4]) memoratur, deinde in titulis reges commemorantur, in titulo Aegosthenico [5]) *Ἡράκων*, rex, in titulis Megaricis Megarenses *Ἀπολλωνίδας, Διογένης, Πασιάδας, Εὐκλέας, Θεόμαντος, Ἀπολλόδωρος ὁ Εὐφρονίου*. Sane haud magnus numerus! Videamus nunc, an certi aliquid de eorum aetate eruamus.

Ἡράκων [6]) vixit eo tempore. quo Aegosthenitae foederis Achaici participes erant. Nam titulo praescriptus est *γραμματεύς*, eponymus Achaeorum inter annos 280—255 si Polybio [7]) inter annos 275—255 si Straboni [8]) fidem habemus; deinde sequitur mensis tertius Achaicus. Itaque Foucartus [9]) hunc titulum inter annos 280—255 exaratum esse vult, quo

[1]) Paus. I. 43, 3.
[2]) C. J. Gr. II. 3794.
[3]) Pauly. Realencycl. p. 600.
[4]) Zenob. cent. 5. 8.
[5]) Rang. No. 704.
[6]) Leb. 12, Rang. 704. Welcker bull. dell' inst. 1843. p. 169.
[7]) Polyb. II. 43, 1.
[8]) Strabo VII, 7. 3.
[9]) explicc. des inscr. No. 12.

temporis spatio Aegosthena praesertim sita ad mare Halcyonium, priusquam Megara foederi Achaico accessisse putat.

Aliquid certius de tempore Eucliae[1]), regis Megarensium, judicare possumus. Nam titulo nostro docemur, eum aequalem Demetrii Poliorcetae fuisse. Laudatur Cleon, Erythraeus, quod Demetrium Megarensibus conciliasset. Nam cum Munychia obsideretur, Demetrius Megarensibus succurrit, et praesidio Cassandri expulso, libertatem reddidit, qua de re Plutarchus[2]) et Diodorus Siculus[3]) verba faciunt. Anno 307 Demetrius Athenas occupavit, itaque quin circa eundem annum Megarensibus subsidio venerit, non est, cur dubitemus. Euclias igitur, quo anno in magistratu fuerit, satis notum est. Idem nobis occurrit in titulo[4]), quo Myi. Eresio, uni fortasse ex numero amicorum Demetrii, proxenia, quae vocatur, contigit.

Alii reges *Θεόμαντος* et *Ἀπολλόδωρος*, qui nobis innotuerunt, et *Εὐκλίας* successores — quo ordine fuerint erui non potest — muneribus functi sunt; quod facile demonstrari potest. Liceat mihi magistratus tribus titulis Megaricis adscriptos afferre.

I. *Βασιλεὺς Εὐκλίας*[5])
ἐστρατάγουν Φωκῖνος Εὐάλκου, Ἀριστότι(μος
Μενεκράτεος, Δαμοτέλης Δαμέα, Θέδωρος
Παγχάρεος, Πρόθυμος Ζεύξιος, Τίμων Ἀγα/θω
νος, γραμματεὺς βουλᾶς καὶ δά — —
μου Εὐπαλῖνος Ὁμόφρονος.

II. *Βασιλεὺς Θεόμαντος*[6]) *ἐστρατάγουν Φωκῖνος Εὐάλκου, Ἀριστότιμος Μενεκράτεος, Δαμοτέλης Δαμέα, Θέδωρος Παγχάρεος, Πρόθυμος Ζεύξιος, Τίμων Ἀγάθωνος γραμματεὺς βουλᾶς καὶ δάμου Πασίων Δωροθέου.*

III. *Ἐπ(ὶ)βασιλέος Ἀπολλοδώρου τοῦ Εὐφρονίου*[5]) *γραμματεὺς*

---

[1]) Leb. 31. Rang. 698. ἐφ. ἀρχ. 1332.

[2]) Plut. Demetr. c. 9.

[3]) Diod. Sic. XX, 46.

[4]) Leb. 33. Rang. 700. ἐφ. ἀρχ. 1334. Ross. Berl. ber. 1844, p. 160.

[5]) Leb. 33. Rang. 700. ἐφ. ἀρχ. 1334. Ross. l. c.

[6]) Leb. 33 a. Conze philol. 1859 p. 151.

[7]) Leb. 34. Rang. 695. ἐφ. ἀρχ. 1327. Mitth. des d. arch. Inst. zu Athen VIII 138. p.

βουλᾶς καὶ δάμου Δαμέας Δαμοτέλεος, ἐστραταγουν Δαμοτέλης Δαμέα, Φωκῖνος Εὐάλκου, Ἀριστότιμος Μενεκράτεος, Θέδωρος Παγχάρεος, Πρόθυμος Ζεύξιος, Τίμων Ἀγάθωνος.

Ex his videmus Appollodorum. Theomantum, Eucliam cum iisdem praetoribus officia praestitisse; qua ex re elucet, eos inter se circa a. 307 successisse.

De regibus Pasiada [1]) et Diogene [2]) nihil compertum habemus.

Appollonidas [3]). Megarensium rex, eadem aetate, qua Heracon, Aegosthenita, vixisse videtur. Nam apud Achaeos scriba eponymus erat, id quod elucet ex nomine Stratonis scribae, quod additum est, non propterea quod Megara foederi se applicuerunt — id postea factum est — sed quod legatis Boeotorum et Achaeorum missis Megarenses controversiam inter Thyrienses et Cassiopaeos componunt. In altero [4]) titulo nomen mutilatum huius regis legitur. Nam alium non fuisse, deficiente patris nomine concludi potest.

Denique rex *Νεικίας Ἑρμείου* [5]) temporibus imperatorum nobis occurrit.

Itaque cum per tantum temporis spatium vestigia huius magistratus sequi possimus, ea opinio, qua semper regem fuisse putatur, probabilitatis speciem prae se fert. Concedendum autem est, eum non semper maxima auctoritate et eponymia praeditum fuisse, sed nonnunquam alios magistratus potentia superiores fuisse. Quodsi quis quaerat, quomodo rex creatus sit, difficile est de hac re judicare. Neque enim tituli neque certa scriptorum testimonia ansam praebent. Pausanias [6]) vero, qui de regno sublato verba facit, *αἱρετοὺς ἄρχοντας* institutos esse tradit. *αἱρετοί* autem *ἄρχοντες* sunt suffragiis electi, a quibus distinguendi sunt *κληρωτοί, κλήρῳ* i. e. sorte creati, ut Cassius Dio [7]) distinguit: *ἐκ τοῦ*

[1]) Lb. 29 30. Rang. 701. 702. ἐφ. ἀρχ. 1330. 1335. Ross. p. 160. Rh. Mus. 1866. p. 393.

[2]) Lb. 27. 28. Rg. 693. 694. Ross p. 158. ἐφ. ἀρχ. 1329.

[3]) Lb. 17. Ross. Ber. der Berl, Akad. 1844. p. 162.

[4]) Lb. 26. Rang. 697. ἐφ. ἀρχ. 1331.

[5]) C. J, Gr. 1057.

[6]) Paus. I. 43, 3.

[7]) Cass. Dio. 42, 22. 2; 54. 30, 3.

κλήρου, ἀλλ' οὐχ αἱρετόν. Etsi haec differentia in omnium usu versabatur, tamen puto Pausaniam hoc loco de sola creatione magistratuum neque accuratius de ratione creandi dixisse. *αἱρετὸς* igitur hoc loco est electus, aut sorte aut suffragio: posterioribus autem temporibus, si in comparationem vocamus secundum archontem Atheniensium, cui nomen *βασιλεύς* erat, eiusque modum creandi plebe dominante usitatum transferre conamur, non est cur in dubium vocemus, quin sorte postea rex Megarensium electus sit. Nam in hoc magistratu eligendo populi intererat, voluntatem deorum exquirere, quod sortiendo optime fieri potuisse quis est qui neget?

Sequitur, ut videamus, quae officia eius fuerint.

Ex origine quidem colligendum est, hunc magistratum partem officiorum, quae antea regum fuerant, suscepisse. Nam sicut illi hic deis colendis imprimis operam dedisse videtur. Aristoteles[1]) quidem inter magistratus, quorum erat honorem deorum tueri, nominat *βασιλέας, πρυτάνεις, ἄρχοντας*. Et reges inde a temporibus fabulosis quasi internuntii deorum hominumque fuisse dicuntur; quid mirum, quod huic magistratui partes regum pristinorum datae sunt! Velut hi, ignem sacrum foci in prytaneo siti alere atque sacrificia publica rex facere debuit; quod quidem ex loco Dieuchidae[2]) scriptoris apparet. Ille enim ut describat regis morem in sacris faciundis, verbis utitur hisce; *διόπερ θύσας τοῖς θεοῖς ὁ βασιλεὺς τὸ τελευταῖον τὴν γλῶσσαν ἀνέθηκε τοῖς βωμοῖς καὶ ἀπὸ τότε ἔθος τοῦτο διέμεινε τοῖς Μεγαρεῦσιν*. Itaque cum regi munus sanctissimum esset mandatum, fieri non potuit, quin ad eum permulta regii splendoris ornamenta, imprimis eponymia deferrentur. Qua in re animadvertit Foucartus[3]), nunquam regi patris nomen adscriptum esse, excepta una inscriptione[4]) in qua legitur *ἐπὶ Ἀπολλοδώρου τοῦ Εὐφρονίου* — apud Rangabéium[5]) falso *Εὐθρονίου* — quod ideo additum est, ne quibus idem nomen erat, inter se confunderentur.

---

[1]) Aristot. VI 9. 1322. B. 29.
[2]) frg. hist. Graec. IV. p. 390, 8.
[3]) explicat. des inscr, p. 19.
[4]) Mitteilgen des d. arch. Inst. zu Athen VIII p. 183. Leb. 34
[5]) Rang. 695. 696.

Dicat hic quispiam etiam sacerdotes titulis praescriptos esse, neque injuria. Sed illi in rebus, quae ad deorum cultum pertinent. commemorantur; rex autem praeterea etiam anno nomen dedit; qua ex re elucet, annum civilem non modo arte conjunctum fuisse cum deorum cultu. sed etiam regem primum locum aliquamdiu obtinuisse vel inter summos magistratus habitum esse.

Sunt, qui putent regem in unius tantum dei officio versatum esse atque qui Apollinis cultum regis curae mandatum fuisse ut Delphis. Siphni, affirment. Sed cum imperatorum aetate, qua *βασιλεὺς* adhuc erat, tamen *ἀρχιερεὺς τοῦ Ἀπέλλωνος*[1]) simul inveniatur, haec munera aut omnino nunquam curata esse, aut ea posteriore aetate ab eo ad illum sacerdotem translata esse statuendum est.

De praetoribus.

Quo tempore primi Megarensium praetores creati sint, non liquet. Verumtamen ex eo, quod in veteribus coloniarum titulis non inveniuntur, suspicari possumus, hunc magistratum post deductas colonias esse institutum. Accedit. quod in aliis quoque civitatibus, veluti Athenis, praetorum collegia recentiore demum tempore instituta videntur. Certa testimonia de successorum Alexandri aetate demum habemus. Existunt enim tituli, quibus quinorum praetorum nomina continentur. Neque falsa mihi Boeckhii[2]) conjectura videtur esse, qui hunc numerum cum distributione populi in quinque pagos confert; quod quidem Plutarchus[3]) nominibus pagorum allatis demonstrat atque Zenobius[4]) confirmare videtur. Zenobius enim narrat, Megarenses, cum mulier quaedam nobilissima Corinthi esset mortua, quinquaginta liberos ad pompam funebrem misisse; quid igitur? Nonne conjicere licet, distributionem in quinque partes electioni subfuisse.

Temporibus Demetrii sex praetores commemorantur; quam rem Foucartus[5]) probabiliter ita explicat. ut suspicetur, hunc numerum auctum revocandum esse ad novam populi

---

1) C. J. Gr. I 1058. 1065.
2) C. J. Graec. I 1052.
3) Plut. quaest. Graec. XVII.
4) Zenob. cent. 5. 8.
5) Fouc. explic. des inscr. p. 14.

distributionem. Itaque, si respicimus Athenienses eodem tempore Demetrio gratias ita egisse, ut duas tribus nominibus Demetrii et patris Antigoni inditis instituerent, hoc quidem satis perspicuum est, etiam Megarenses Demetrium, quippe qui, ut supra demonstravimus, optime de urbis salute meruisset, similibus honoribus affecisse. Megarenses, cum socii Boeotorum essent, nomen et officia praetorum in polemarchos detulerunt; nam in omnibus titulis illo tempore exaratis polemarchi inveniuntur. Sed postquam Megarenses a foedere Boeotorum defecerunt et ad foedus Achaicum denuo accesserunt, praetores creaverunt. Atque etiam temporibus imperatorum praetores nobis occurrunt.

Jam vero quaerendum est, quamdiu praetores munere functi sint.

Rangabéius[1]) judicat, eos plus quam unum annum officia suscepisse. Nam cum iidem praetores scripti sint, alii reges et scribae adduntur; velut in tribus illis titulis, quos attuli, nomina Apollodori regis et Dameae scribae, Theomanti et Pasionis, Eucliae et Empalini cum iisdem praetoribus incisa videmus. Addit Foucartus[2]), fieri non potuisse, ut bis eodem anno reges atque bis scribae morerentur. — quod concedo. — Sed quod Foucartus opinatur in tres annos suffragia in eosdem esse collata, atque id lege constitutum vult, dissentio. Mihi potius hic magistratus annuus fuisse videtur, sed ita ut eosdem secundo vel tertio vel quarto anno denuo creari liceret.

Restat, ut inquiram, quae fuerint munera praetorum. Jam appellatione ipsa significatur, imperium exercitus iis esse mandatum; atque etiam suspicandum est, classi eos praefuisse. Nam nauarchi nemo auctor mentionem facit. Virtus bellica Megarensium, licet inde a bellis Persicis minuta sit, tamen compluribus locis a scriptoribus commemoratur. Exercitibus igitur praetores duces fuisse, quis est, qui non concedat? Nimirum praetoribus omnia negotia; quae ad res bellicas pertinebant, mandata erant; velut stipendia exercitui persolvenda, pecuniae imperatae exigendae; Sed

---

[1]) Rang. adnot. ad No. 702.
[2]) Fouc. explicat. des inscr. p. 14.

postea, cum Megarenses bello non jam valerent, praetores etiam rei publicae administrandae interfuisse verisimile est. Athenis quoque alii ad bellum proficiscebantur atque foris rem gerebant, alii rebus internis occupati domi manebant; neque quidquam impedit, quominus de Megarensium praetoribus idem suspicemur. In inscriptione quadam [1]) decretum asservatur, quo praetorem statuam ponendam curasse docemur; quod decretum posteriori tempori est attribuendum. Aetate imperatorum unus praetor in titulis eponymus invenitur, fortasse is, qui collegio praesidebat. Nam vox *συστράτηγος* [2]) testatur complures collegas fuisse; eponymus autem, qui si inscriptiones sequimur, *στρατηγὸς τῆς πόλεως* appellatus est, primum locum inter omnes magistratus tum obtinuisse videtur.

De scribis.

Scribae in omnibus Graeciae urbibus majore minoreve auctoritate semper fuerunt; et quamquam apud scriptores memoria scribarum Megarensium nulla est, tamen nonnulla ad eorum magistratum cognoscendum e titulis lucramur. Hoc igitur fundamento nisi, in scribas inquiramus.

In plerisque titulis in Megaride effossis scriba senatus populique et scriba populi inveniuntur. Jam quaeritur, utrum haec nomina de eodem magistratu intelligenda, an duo scribae distinguendi sint. Foucartus [3]) quidem ita explicat, ut duos diversos esse statuendos existimet. Et recte hoc quidem. — Nam scribam senatus populique cum eponymis conjunctum nominatim commemoratum videmus, alterius nomen tacetur; quae ratio cum in omnibus eiusmodi titulis conspici possit, suspicari non licet, neglegentia lapicidae vel casu quodam verba *τῆς βουλῆς* et nomen scribae praetermissa esse; quid igitur impedit, quominus duos scribas discernamus?

Majore auctoritate sine dubio scriba senatus populique erat qui in unum mensem ex senatoribus electus esse videtur.

Jam vero quaestio oboritur, quas ad res eius officia pertinuerint! Dolendum est, quod nihil ex inscriptionibus appa-

---

[1]) C. J. Gr. I. 1079.
[2]) O. J. Gr. I. 1058.
[3]) Fouc. explic. des inscr. p. 13.

ret. Sed cum senatus quoque scriba nominetur, nemo varia eius munera sibi fingere non poterit, si variorum senatus negotiorum meminerit. Primum enim eius erat senatus consulta litteris consignare, deinde quicunque rogationem laturi erant, eius consilio utebantur.

Alterum scribam, qui appellatur *γραμματεὺς τοῦ δάμου*, quem magistratibus minoribus adnumerandum puto, postea tracturus sum.

Tertius scriba, qui in titulis nobis occurrit, est *γραμματεὺς τῶν συνέδρων*. Jam nomen ipsum indicat eius originem. In nonnullis enim Boeotorum urbibus, velut Acraphiae, Chaeroneae, alibi, senatores appellantur *σύνεδροι*. Itaque hic scriba sine dubio a Megarensibus tum cum socii Boeotorum erant, institutus est. Sed scriba senatus populique non jam commemoratur et scriba senatorum eius locum, quamvis diminuta auctoritate, obtinuisse videtur. Nam cum scriba senatus populique cum rege praetoribusque in fronte decretorum commemorari soleat, hic nunquam archonti et polemarchis adscribebatur. At solus invenitur initio titulorum in quibus epheborum nomina incisa sunt; qua ex re elucet, ei rationem aliquam cum ephebis intercessisse. Atque proximum est, ut colligamus, eum epheborum nomina in tabulas retulisse.

De archonte.

In nonnullis titulis Megaris et Aegosthenis confectis archon eponymus praescriptus est, eis temporibus, quibus urbes Megaricae se ad societatem Boeotorum applicaverant. Eum magistratum fuisse inter annos $^{223}/_{192}$ Foucartus censet, Larfeldius[1]) autem brevius temporis spatium statuit. Uter rectius judicaverit, nunc est considerandum.

Larfeldius profert, Megarenses a. 223 ab Achaeis ad Boeotos defecisse, sed postea — Polybio [2]) auctore haud multo ante bellum cum Antiocho gestum 192—189 denuo cum Achaeis stetisse; quam defectionem, ut ulciscerentur, mox Megarensibus bellum inlatum esse a Boeotis notum est. Atque T. Quinctius Flamininus a. 196 aliis Graeciae civitati-

[1]) Larfeld syll. inscr. Boeot. p. VIII.

[2]) Polyb. XX. 6. 9,

bus libertatem reddidit, aliasque cum pristinis foederatis consociavit. Boeotis Livio [1]) auctore, Locrensium et Phocensium agros, Achaeis Corinthum, Triphyliam, Heraeam restituit; quibus argumentis nisus Larfeldius opinatur, Megarenses jam antea ad Achaeos transiisse. Nam si hoc non fuisset et Megarenses usque ad annum 197 a parte Boeotorum stetissent, Flamininum eos a. 196 Achaeis tributurum fuisse putat; qua de causa Megarensium defectionem a. 198 aut 197 factam esse vult.

Foucartus autem opinatur circa a. 192 Megarenses turbis Boeotorum commotos foederi Achaico denuo se applicasse. Atque Foucartus verba Polybii βραχὺ πρὸ τῶν νῦν λεγομένων ita interpretatus esse videtur, ut arbitretur, Megarenses non pluribus annis. sed summum anno ante bellum cum Antiocho gestum ad Achaeos transiisse. Verumtamen quin enuntiato illo Polybii spatium etiam annorum quinque significari possit, non est, cur dubitemus. Itaque id quod Larfeldius argutius proposuit, probandum est.

Hac aetate primo loco archontis Onchestii nomen titulis praemittitur; formula est ἄρχοντος ἐν Ὀγχηστῶι; hanc vero idem valere atque usitatam ἄρχοντος Βοιωτοῖς Larfeldius [2]) titulis Boeotorum et Aegosthenitarum collatis demonstravit. praeterea aliud atque gravissimum testimonium mihi proferendum videtur hoc: Pactum Boeotorum et Phocensium titulo Thespiensi [3]) saeculi tertii nobis asservatum est. in quo statutum est: δια πράξειν τὴν βουλήν, ἐπειδὰν αἱρεθῇ τὰ μὲν Βοιωτῶν ἐν Ὀγχηστῶι τά τε Φωκέων ἐν Ἐλατείαι κ. τ. ἄ, Cur igitur Onchestus digna habebatur, in qua magistratus anno quoque pacti causa jusjurandum darent? Nempe quod Onchestum Boeotici concilii tum conventus indicti sunt. Itaque Foucarti [4]) explicatio valde mihi probatur, qua demonstratur, a Boeotis, cum post Alexandrum mortuum foedus restituerent neque ab ulla urbe principatum usurpari vellent, Neptuni templum prope ad Onchestum situm, utpote erat antiquitus commune Boeotis,

[1]) Liv. 33, 34, 8, 9.
[2]) Larfeld syll. p. VII.
[3]) Mitteilungen d. deutsch. arch. Inst. III p. 4.
[4]) bull. de corr. hell. IV 1880 p. 83.

medium esse delectum fere regionum earum, quas Boeoti obtinerent. hoc igitur loco archon foederis ceterique magistratus versabantur. Quo modo hic *ἄρχων ἐν Ὀγχηστῶι* creatus sit, non satis perspicuum est. Verumtamen ex singulis Boeotiae urbibus prodiisse videtur. Nam tres tituli confecti sunt, quibus Thebanum[1]), Thespiensem[2]), Coronaeum[3]) archontis Boeotorum munere functos esse demonstratur. Hoc de archonte *ἐν Ὀγχηστῶι*, quem omnino praeterire silentio non potui, cum catalogis epheborum praescriptus sit; verba *ἄρχοντος ἐν Ὀγχηστῶι* sequuntur: *ἐπὶ δὲ πόλιος*; quam rem Boeckhius[4]) ita explicat, ut contendat, Aegosthenis in potestatem Onchestiorum redactis, anno nomen ab archonte illorum datum esse atque *προστάτην ἐπὶ πόλιος* vel *ἐπιμελητὴν* ab Onchestiis destinatum urbi praefuisse, sicut Delium Atheniensium archontem; Equidem hac in re dissentio atque archontem ab urbe Aegosthenitarum abjudicari nolo. Nam Onchestus ipsa non in numero urbium confoederatarum habebatur, sed in finibus urbis Haliarti sita[5]) vix alias tenere poterat, Deinde Aegosthenitae, — unde eos sui juris fuisse colligimus — populi scito concesserunt, ut Siphenses sacrificiis publicis interessent.

Itaque ad *ἐπὶ πόλιος* supplendum est *ἄρχοντος*, non *προστάτου*, id quod duo titulo Megarici praebent:

ἄρχόντος Κλειμάχου[6])
ἐν δὲ Ὀγχηστῶι Ποτιδαίχου
et *ἄρχοντος Ὁμόφρονος*[7])
ἐν δὲ Ὀγχηστῶι Ἀριστοκλέους.

Climachus et Homophron sunt archontes Megarensium. Larfeldius quidem decem catalogos epheborum Aegosthenitis adduxit, sed Foucartus[8]) duos titulos, quos attuli recte Megarensibus attribuit. Nam in his et archon urbanus Onchestio archonti praeponitur et polemarchi accedunt. deinde in du-

1) Lb. inscr. de la Grèce du Nord, No. 616(
2) Lb. ebid. 183.
3) Lolling. Mittlgen des arch. Inst. III p. 86.
4) Berliner Monatsber. 1857. p. 483.
5) Strab. IX. 412 p,
6) Fouc. explic. No. 34a.
7) ibid. No. 34.
8) ibid.

obus[1]) titulorum, quos Larfeldius collegit, nomina archontis Onchestii Aristoclis et duorum archontum urbanorum legimus. Itaque nisi duo catalogi per unum annum Aegosthenis compositi sunt, quod negaverim, et nisi archon Aegosthenis suffectus est, alter titulus[2]) alii urbi, nempe Megaris attribuendus est. Nomina archontum nobis nota secundum ordinem titulorum sunt haec: Aegosthenitae: *Κλεόδρομος, Καλλικλῆς, Θεόδωρος, Ἀχέλων, Ἀπολλωνίδας, Καλλιγένης, Ἡράκων, Ἀριστίων,*[3]) Megarenses *Κλείμαχος, Ὁμόφρων.* At num de aetate eorum quidquam certi statui possit, dubito; quod quidem facilius esset, si adscripti archontes Onchestii nobis ansam praeberent.

De polemarchis.

Ut regi, summo Megarensium magistratui, plerumque praetores, ita archonti in duobus titulis polemarchi adjunguntur. Id quidem inde factum est, quod Megarenses cum archontis dignitatem de Boeotis assumerent, praetores cum polemarchis mutabant, tamen, ita ut qinqueviratus asservaretur. Nam in singulis urbibus Boeotorum tres polemarchi, non sex, id quod voluerat Boeckhus,[4]) fuerunt.

Iam in quaerendo, quae munera praestiterint, necesse erit rationem habeamus et praetorum Megarensium et polemarchorum Boeoticorum, cum quibus hos magistratus magnam similitudinem habere propter originem inter omnes constat. De singulis polemarchorum haec afferre possumus; rebus militaribus consuluerunt, nam polemarchis arbitris *ἀπῆλθον ἐξ ἐφήβων εἰς τὰ τάγματα* Megarenses; deinde si ex Boeotorum legibus de Megarensium polemarchis conjecturam capere licet, primum in rebus pecuniariis urbis vice agebant, sicut polemarchos Orchomeniorum[5]) in pacto Nicaretae vades se dedisse scimus; deinde cives in vincula conjiciendi jus erat;[6]) quin etiam scribae populi munus interdum iis manda-

[1]) Lb. 10. 34b; Larfeld syll. p. 222. 223.
[2]) Leb. 34b.
[3]) Bullet. de corr. Hell. 1885 p. 319.
[4]) l. l. Gr. I. 730.
[5]) Bull. de corr. hell. IV. 15.
[6]) Xenoph. Hellen. V. 4. 8.

tum est; nam decreta,[1]) simulac populiscito sunt sancita, promulgare, promulgataque columnis incidenda curare jubentur.

De boeotarcha.

Temporibus imperatorum, imprimis Antonini Pii eiusque filii, Graecia a secunda origine velut a stirpe renata esse sibi videbatur: certe id undique Graeci annitebantur, ut veteres mores ritusque et pristinorum magistratuum dignitatem restituerent. Licet haec insignia dignitatis ab officiis abhorruerint, licet persaepe honoris causa data sint, Graeci tempora praeterita veneratione quadam prosequi et revocare volebant. Itaque cum foedus Boeoticum denuo factum esset, boeotarcharum magistratus restitutus est atque etiam Megarensibus contigit, ut unum boeotarcham e civibus eligerent, id quod titulo[2]) quodam demonstratur, quo mentio fit viri iterum creati.

B. De magistratibus minoribus.

Incertum est, quinam magistratus huic generi attribuendi sint, neque minus facile est distinctu, qui magistratus, qui curatores habiti sint. Velut gymnasiarchus apud Graecos modo magistratus dignitate utebatur, modo curam, quae vocabatur *ἐπιμέλεια*, administrabat. Equidem magistratibus minoribus adnumero scribam populi, quaestorem, nomophylaces, agoranomos, gymnasiarchum, judicem; nunc ad singulos accedamus.

De scriba populi.

Hic scriba, cum non modo non eponymus sit, sed ne nominatim quidem in titulis commemoretur, sine dubio gradu inferiore erat, quam scribae, de quibus supra diximus. Ac paene adductus sum, ut hunc in ordinem ministrorum cogerem. Sed ex eo, quod subscribae — subscriba a Megarensibus Orchomenum missus laudatur et cornatur in illa urbe[3]) — qui quidem inferiores erant huic scribae, inveniuntur, hic non infimo loco fuisse videtur. Itaque magistratibus adnumerare velim.

---

[1]) Leb. 1. 2.
[2]) C. 7. Gr. I. 1058.
[3]) Keil syll. p. 18. Rang. No. 703.

Scriba is erat, qui apographi fidem praestaret; id vero facere non potuit, nisi ipse decreta in lapide incidenda curabat; praeterea eius erat, lapides quo loco populus jusserat, ponere. Megaris destinatum erat Olympieion, Aegosthenis Melampodeion, ut Pausanias[1]) refert titulique testantur.

Quae ratio in scriba populi eligendo adhibita sit et quamdiu in munere fuerit, dijudícari non potest.

De quaestore.

Esti neque ex inscriptionibus neque ex libris quidquam de hoc Megarensium magistratu scimus, tamen vix dubitari potest, quin inter magistratus Megarenses locum obtinuerit. Nam etiam Megarenses aerarium habuisse, quo impensas bellis gerendis, aedificiis publicis aedificandis, aliis rebus, praestarent, suspicari licet. Quis igitur aerario praefuit, quis rationes sumptuarias reddidit, nisi quaestor vel collegium, cui erat mandatum, ut tributa vectigaliaque redigeret impensasque faceret? Itaque hand inepta mihi videretur illa conjectura, qua Foucartus lacunam in inscriptione[2]) quadam suppleri vult; *δότω ὁ ταμίας τῆς πόλεως*, nisi alius titulus[3]) praeberet *δᾶμος ὁ Μεγαρέων* atque Rangabéeis conjecisset *τὸ δὲ ἀνάλωμα δότω*; quae verba *δότω ὁ δᾶμος ὁ Μεγαρέων* illic quoque restituenda judico; quamquam impensam non populum ipsum, sed jussu eius *ταμίαν τῆς πόλεως* solvisse luce clarius apparet.

De nomophylacibus.

In titulo Chalcedonio supra jam allato, nomopylaces cum aliis magistratibus praescripti sunt. Itaque probabiliter conjicere possumus, jam cum Megarenses colonias in Pontum Euxinum deducerent, nomophylaces in patria muneribus suis functos esse. Chalcedone tres fuerunt, Megarensium numerus incertus est. Quod fuerit munus eorum, nescimus. Spartanorum nomophylaces praecipue tabulario praefecti erant, de aliis bene docet Xenophon[4]) in libro, qui vocatur *οἰκονομικός*.

---

[1]) Paus. I. 40, 4. I, 44, 5.

[2]) explic. des inscr. No· 7.

[3]) Rang. 695.

[4]) Xenoph. oecon. cap. IX. 14. Cic. de legg. III. 20.

Erat enim illis officium cives, qui legibus parerent, laudibus atque honoribus afficere, eos autem, qui contra jus fasque omne agerent, reprehendere ac multare.

De agoranomis.

Sine dubio hic Megarensium magistratus similis erat magistratui eiusdem nominis in aliis Graecorum civitatibus, cui erat mandatum, ut nundinis eos, qui turbas excitarent, in ordinem cogeret, annonae provideret, pretium annonarium moderaretur, vectigal pro iis rebus, quae venirent, exigeret; quae quidem munera temporibus imperatorum magnis sumptibus auctа esse videntur. Legimus enim in titulo[1]) Megarensium ludos gladiatorios a Proclo quodam agoranomo esse editos; quos ludos ab imperatoribus institutos agoranomis delatos esse, verisimile est. Itaque qui munus agoranomorum cum illo aedilium Romanorum conferat, haud valde erret.

De gymnasiarcho.

Si quidquam, certa disciplina atque institutio puerorum ad rem publicam stabiliendam valent. Itaque imprimis Spartani magna laude erant digni, quod videbant, ne cura juventutis negligeretur; quam quidem rationem etiam a Megarensibus adhibitam esse intelligi potest e titulis,[2]) quibus monumenta gymnasiarchis collocantur.

In urbe Megaris appellatur gymnasiarchus verbis: *γυμνασιαρχοῦντος ἐν Ὀλυμπιείωι;*[3]) quod quidem Olympieum est templum Iovis Olympii neque gymnasium ipsum. Sed sicut Athenis *τὸ γυμνάσιον τὸ κατὰ τὸ Λύκειον* postea appellabatur, hoc loco etiam gymnasium et gymnasiarchus e situ aedificii nomen acceperit; quodsi hoc gymnasium cognomine praeditum est, distinxeris ab altero, fortasse ab illo, quod apud Pausaniam [4]) appellatur *τὸ γυμνάσιον τὸ ἀρχαῖον.* Quod attinet ad munus gymnasiarchi, non erat, ut Athenis,[5]) officium, quae vocabatur *Λειτουργία;* Temporibus quidem, quibus tituli

---

[1]) C. J. Gr. I. 1058.

[2]) C. J. Gr. I. 1053. 1454.

[3]) Lb. 34c. 34e.

[4]) Paus. I. 44, 3.

[5]) Schöman gr. Alterth. 462.

Megarici confecti sunt, gymnasiarchus magistratus erat atque juvenes curae sibi habebat. Nam in duobus catalogis[1]) epheborum gymnasiarchi non desunt. Officia unum annum praestitisse videntur, id quod titulo[2]) quodam demonstratur. Neque erret, qui contendat, munere illo gymnasiarchis magnam inpensam ac sumptum facienda fuisse. Sed quod in titulo illo gymnasiarchus, qui ex suo sumptum praestiterit, honoratur, testimonio est, gymnasiarchorum non fuisse eadem liberalitate uti.

De judice.

Si quidquam apud Megarenses risum movere potest — vanitas est, qua elati fere nemini civitatem dederunt; quin etiam, cum Alexander Magnus civitate donatus deriderc videretur, gloriari ausi sunt, nemini adhuc praeter Herculem contigisse[3]); quis igitur miretur, quod summa cum diligentia caverunt, ne quis indignus inter cives se insinuaret. Itaque si titulo cuidam,[4]) quo ephebi recipiuntur, judicis nomen praescriptum videmus, dubium non est, quin judex in hac re occupatus fuerit. Nempe ut de receptione atque civitate judicaret.

C. De magistratibus sacerdotalibus.

Quam bene Graeci pietate inducti deorum cultui consuluerint, testimonio est, quod magnus numerus magistratuum sacerdotalium instituebatur. Initio quidem praeter sacerdotes, qui cultui singulorum deorum praeerant, regi cura fuisse videtur; sed cum cultus et magnificentia et varietas augeretur, complures munera inter se partiti sunt; occurrunt enim fere ubique urbium Graecarum *ἱερομνήμονες,*[5]) *ἐπιμεληταί, νεοκόροι, ναοποιοὶ,* alii. Sed apud Megarenses solum de hieromnemonibus aliquid compertum habemus.

---

1) Lb. 34c 34e.
2) Lb. 40.
3) Plut. *περὶ μοναρχίας* τκα' (Moral. IV. ed Wyttbch.)
4) Lb. 34c.
5) De his scripsit Letronne histoire et mémoires de l'institut royal de France, acad. des sc. T. VI. 1822.

De hieromnemonibus.

Hi magistratus in urbe Megaris sacerdotes Neptuni fuerunt. Nam Plutarchus[1]) tradit, eos pisce vesci vetitos fuisse; qui cum inter sacerdotes Neptuni soli praecepto adstricti esse videntur, suspicari licet, eos summos atque artissima necessitudine cum Neptuni sacris conjunctos fuisse; verum tamen Neptuni cultus apud Megarenses valde floruit, tamen credibile non est, hieromnemonum officia nulla fuisse praeter sacrorum illorum administrationem. Namque ipsum nomen indicat, eos non sacerdotes fuisse, sed magistratus, quibus tamen, ut Lacedaemone regibus, etiam certum aliquid sacerdotium mandatum erat. Illos igitur fuisse arbitror — ut munera eorum enumerem, curatores tabularii sacri — *ἐν τῷ ἱεροτάτῳ ταμιείῳ* praebet titulus[2]) — velut *ταμίαι τῶν ἱερῶν* apud Athenienses atque hieromnemon apud Thasios[3]); nam hic impensam decreto Minervae dedicato facere jubetur. Quodsi Polybius[4]) affert: *ἐπὶ Κόθωνος τοῦ Καλλιγείτονος ἱερο μνημονοῦντος ἐν Βυζαντίῳ*, non dubium est, quin summum locum inter magistratus sacerdotales obtinuerit neque unquam hieromnemonis nomen omissum sit, si quae decreta cultum attigerint.

D. De curatoribus et theoris.

Curatores, etsi a populo constituti ac plerumque gratuito munere functi sunt, a magistratibus sunt distinguendi. Si quis quaerat, quid intercesserit inter eos, sciat, cum magistratus secundum leges suam rei publicae partem per certum tempus, quod item lege definitum erat, administraverint, curatores ad negotium aliquod peculiare sive extraordinarium sive certis temporibus repetitum esse nominatos. Accurrunt nobis Megarenses *προστάτης* et *ἀγωνοθέτης*, quibus accensendos quto theoros i. e. legatos ad dies festos aliarum gentium et ad urbium foederatarum concilia missos, quippe qui honorifico negotio instructi personam civitatis, ut ita dicam, gesserint, velut *Πανέλλην* et *ἀμφικτύων*.

---

[1]) Plut. sympos. VIII. 8. 4.
[2]) C. J. Gr. I. 1085b.
[3]) C. J. Gr. II. 21 61.
[4]) Polyb. IV. 52, 4.

De prostata.

Prostates proprie intelligendus est patronus, quem sibi quisque inquilinus e civium numero eligere cogebatur, Sed postea cum commercia inter civitates Graecas magis magisque aucta essent, peregrinos publice curare ac tueri oportebat; atque id spectabat lex, ut essent, a quibus haec cura administraretur. Megaris e posterioribus temporibus Proclus[1]) *προστάτης* commemoratur, atque is perpetuus.

De agonotheta.

Hic inter magistratus aut inter curatores a Graecis habebatur. Nam Dittenbergerus[2]) adnotat, agonothetam fuisse magistratum eponymum Locrensium occidentalium, sed ut ex adnotatione Koehleri[3]) perspici potest, Athenienses a principatu Demetrii Phalerei a. $^{309}/_{8}$ provinciam ludos adornandi curatori annuo suffragiis electo mandaverunt. Apud Megarenses quoque agonotheta curator potius quam magistratus fuisse videtur. Nam nihil nisi ludi instituendi et inspiciendi ei curae erant. Commemoratur Proclus[4]) ille *ἀγωνοθέτης Πυθαίων* Megarensium.

De panhellene.

Cum Hadrianus *Πανελλήνια,* unde ipse nomen *Πανελλήνιος*[5]) accepit, Athenis instituisset[6]), Graecorum erat omnium legatos mittere, qui vocabantur *Πανέλληνες*. Jis igitur diebus festis erant certamina, quibus *πρῶτος Πανέλλην* et collegia ceterorum panhellenum praesidebant, ut Müllerus[7]) judicat. Sed raro panhellenum mentio fit. Temporibus Antonini Pii[8]) eiusque filii panhellenes una cum Achaeorum concilio in urbem Argivorum convenisse dicuntur. Unius Megarensium panhellenis memoria conservata est, Procli[9]), de quo supra diximus.

---

1) C. J. Gr. I 1058.
2) Sylloge II p. 644.
3) Mitteilg. d. arch, Iust. InI 236 p.
4) C. J. Gr. I. 1058 No.
5) C. J. Gr. I, 1072 No.
6) C. J. Gr. I. p. 788.
7) Dor. p. 158.
8) Boeckh. C. J. Gr. I. 1625.
9) C. J. Gr. I. 1058.

De amphictyone.

Inter omnes, quae innotuerunt, amphictyonias nobilissimam fuisse Delphicam inter omnes constat, cuius conventus indicebantur et ad templum Delphicum Apollinis Pythii et ad aedem Cereris prope Thermophylas sitam. Eo igitur alternatim vere et auctumno Graecorum legati se congregabant deliberandi causa. Ut praetermittam, quantum valuerint amphictyoniae ad res Graecorum, quae bella sacra conflaverint. transeo statim ad Augusti aetatem, qua rationes foederis sanctissimi de integro sunt ordinatae. Pausanias[1]) nos de gentibus foederatis earumque suffragiis certiores facit .Magnetes enim. Malii. Aenianes, Achaei, Phthiotae suffragium cum Thessalis ferebant, Dolopum partes explebat urbs Nicopolis ab Augusto in Acarnania condita; quod attinet ad amphictyonum legatos, Pausaniae aetate triginta fuerunt; senos Nicopolis, Macedonia, Thessalia; binos Boeotia, Phocis, Delphi, singulos Doris ad Parnassum montem sita, Locris Ozolarum, Locris Epicnemidiorum, Euboea, Megara cum Corintho. Argis, Sicyone conjuncta, Athenae miserunt. Delphi, Nicopolis, Athenae civitates ad omnia concilia delegerunt legatos, ceterae autem gentes ita egerunt, ut certo ordine civitas destinaretur, quae vices aliarum obiret. Itaque si Megarensis amphictyon nobis hac aetate occurrit, is est qui a Megarensibus, Sicyoniis, Corinthiis mittebatur atque jam tertio fuisse Megarensium amphictyonem Proclum titulo demonstratur; qui amphictyonis honos haud scio an hominibus in re publica summa auctoritate florentibus reservatus fuerit; nam Plutarchus[2]) quoque amphictyonis honorem inter summos dignitatis gradus recenset; atque vir Phocensis[3]) gloriatur, se hoc munere aliisque functum esse.

Cap. III.

De re judiciaria.

Res judiciaria erat, cui magna cura a Graecis adhibebatur; qua de re satis certam cognitionem cum apud Lace-

[1]) Paus. X. 8. 4. 5.

[2]) Plut. an seni sit. ger. resp. c. 4.

[3]) Lb. 831.

daemonios tum apud Athenienses habemus. De rebus forensibus Megarensium nihil scimus, nisi Demosthenem[1]) magnum numerum trecentorum judicum exibet fuisse: Nam tituli et scriptores nos deficiunt. E titulis quidem repetendus esse videtur, quo [2]) causa de aedificationibus publice locatis suscepta, etsi lapidi mandata, tamen aditum ad accuratiorem rei forensis cognitionem propter nimias lacunas nobis non patefacit.

Cap. IV.

De publicis Megarensium honoribus.

Quicunque de aliqua urbe Graecorum sive civis sive peregrinus bene meruerat, honoribus afficiebatur; atque etiam plurimi Megarensium tituli, qui quidem ad nos pervenerint, id testantur; honores tribuebantur decretis senatus populique, interdum tribuum. Itaque non mirum est, quod formulae usitatae semper adhibebantur et in honore decernendo et in beneficiis, quibus quis illo honore dignum se praestiterit, enumerandis. Velut decreta huius generis incipiunt a verbis: *ἐπειδὴ ὁ δεῖνα εὔνους ὢν διατελεῖ — ἀγαθᾶι τύχαι δεδόχθαι τᾶι βουλᾶι καὶ τῶι δάμωι κτἅ.* ter qui *προβούλευμα* fieri voluit, memoratur. *Νικίας*, [3]) *Διόδωρος*, [4]) *(ὁ δεῖνα) Ἀριστοκρ[άτου*[5]) *ἔλεξεν αὐτῶι προβεβωλευμένον εἶμεν;* in titulis monumentorum dedicatores: *τὸν δεῖνα ἀνέθηκεν ὁ δᾶμος* vel *(Δυμ) ἄνες,*[6]) *Ἀδριανίδαι,*[7]) *Πάμφιλοι;*[8]) merita in Megarenses vel Aegosthenitas collata praedicantur formulis solemnibus hisce: *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας τᾶς εἰς αὐτὸν* (sc. *δᾶμον*) vel *εὔνοιαν ἔχων διατελεῖ εἰς τὴν πόλιν κτἅ* vel *εὔνους ὢν* vel *εὔνους καὶ χρήσιμος ὢν διατελεῖ τῶι δάμωι.* Raro accuratius meritorum mentio fit velut *εὔνους ὢν τῶι δάμωι καὶ χρείας παρ-*

---

[1]) Demosth. de falsa leg. 435, 29.
[2]) Leb. No. 36.
[3]) Leb. No. 1. 2.
[4]) Leb. No. 7.
[5]) Bull d' Corr. Hell. 1885 p. 318.
[6]) Lb. N.o 48.
[7]) C. J. Gr. I. 1072.
[8]) C. J. Gr. I. 1073.

ἔχεται καὶ κοινᾶι καὶ κατ' ἰδίαν τοῖς δεομένοις τῶν πολιτᾶν, vel quo loco merita eorum, qui a consiliis Demetrii[1]) et Eumenis[2]) erant, exhibentur.

Honorum varia genera fuisse inter omnes constat; etsi Megarenses et Aegosthenitae parcissime eos tribuisse videntur, Si exceperis civitatem Alexandro neque alii cuiquam mortalium antea, Demetrii Poliorcetae praefecto Zoilo[3]) postea oblatam, proxenia, quae vocatur, et nomen *εὐεργέτου* saepius tributa esse invenies. Huc accedebant prohedria et jus participem esse carnis victimarum. Imperatorum temporibus statuae permultae dedicabantur et imperatoribus eorumque uxoribus et Romanorum consulibus.[4]) Megarenses igitur, ut alii, dominos propitios reddere atque adulari studebant. Rarissime laudem et coronam a Megarensibus datam esse putandum est. His in honoribus assequendis num certus ordo fuerit, vereor, ut dijudicari possit. Id constat cum proxenia haud raro alios honores simul decretos esse, excepta laude et corona, quibus perpauci fruebantur. Jam singulos honores explicemus.

De laude.

Ex eo quod laudatio rarissima viris bene de republica Megarensium meritis contigit atque in honorum cumulatione prima enumeratur, hunc inter summos honores habitum esse, apparet. Itaque ut quisque plurima merita in Megarenses contulit, ita potissimum laudis particeps esse potuit, velut Cleon[5]) Erythraeus, quod eius consilio Demetrius Megara a Cassandro occupata, obsidione solvisse videtur, atque eodem honore afffectus est Mys, Eresius,[6]) Demetrio fortasse amicissimus, quia regem Megarensibus conciliaverat. Nam Mys et Cleon laudantur, quod uterque populo utilitati erat; formula est *πράσσων τὰ συμφέροντα τῶι δάμωι.* Verumta-

---

[1]) Rang. 698.
[2]) Vischer Beitr. No. 47.
[3]) Mittheilungen des arch. Inst. VIII. 183 p.
[4]) Leb. No. 54. 56 ect,
[5]) Rang. 698.
[6]) Rang 700. ἐφ. ἀρχ. 1334.

men quomodo utilem se praebuerit **Agathon**,[1]) **Archiae** filius, Argivus, ignoramus. Laudatur enim, quod *εὔνους καὶ χρήσιμος τῶι δάμωι* fuerit, cui titulo subscriptam videmus praedicationem quandam Megarensium: *ὅπως φα]νερὸν ἦι ὅτι ὁ δᾶμος Μεγα[ρέων τι]μῆ τοὺς (ε)ὔ(νους) καὶ χρησίμους αὐτῶι.* Mirum est, quod magistratus muneribus bene functi nunquam digni habebantur, qui laudatione honorarentur.

De corona.

Corona oleaginea more Graecorum solemnis honor Megarensium fuisse videtur, iis qui ludis vicerant. Discimus enim e scholiis ad Theocritum scriptis,[2]) eum qui in ludis, qui vocabantur *Διοκλεῖα*, victoriam reportasset, coronatum ad matrem rediisse. Ceterum corona in uno titulo Megarico[3]) commemoratur. Aegosthenitis enim proponentibus Megarenses decreverunt Zoilo, qui praesidiis a Demetrio Policorceta Aegosthenis collocatis praefuit, auream coronam imponere. Alio loco de corona a Megarensibus data, comperimus. Ex titulo[4]) enim in Troade invento elucet, Eumene regnante Cassandrum, Menesthei filium atque praefectum Aeginae insulae coronis aliisque magnis honoribus affectum esse ab multis gentibus, inter quas Megarenses coronam esse dandam constituerunt, *ἡ πόλις Μεγαρέων δάφνης στεφάνῳ παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ τῆς πόλεως ἀρχηγέτου.* Sane magnus honor, praesertim cum corona ex lauro Apollinea facta sit. Sed quo parcius Megarenses dederunt, eo libentius laudem et coronam auream, quibus Orchomenii[5]) populo Megarensium et judicibus missis et subscribae gratias egerunt, accipiendas esse putaverunt.

De proxenia.

Quam late hoc publici hospitii institutum apud Graecos patuerit, cognoscet, quicunque annales evolverit titulosque perlustraverit.

---

1) Rang. 695. *ἐφ. ἀρχ.* 1327.
2) schol. ad idyll. XII. 28.
3) Mittheilungen des arch. Inst. zu Athen VIII. p. 183.
4) Dittenberger syll I No. 211. p. 320.
5) Rang. 703. Keil syll. p. 18.

Sed inde ab Augusti aetate decreta eiusmodi non jam exstant, quare opinar ilicet, Augustum hoc institutum sustulisse;[1]) quam in suspicionem eo magis adducimur, quod *εὐεργέτου*[2]) appellatio permansisse videtur.

Tituli Megarensium et Aegosthenitarum plurimi tertii et secundi saeculi a. Chr. n. sunt, quibus temporibus proxenia maxime floruit. De ratione decernendi hoc statui potest: Civis vel magistratus *προβούλευμα* a senatu faciendum curabat, quod in contione sanciebatur; quo facto, *ἐπεί κα τὸ ψάφισμα κυρωθεῖ* — decretum scribae populi aut polemarchis deferebatur columnae incidendum et columna, quo loco populus jusserat, collocabatur. Ex additamento tituli[3]) *ἀναγράψαι δὲ αὐτὸν καὶ εἰς στάλαν, εἰς ἅνπερ καὶ οἱ ἄλλοι πρόξενοι*, et verbis praemissis *ἀναγράψαι τὸν γραμματέα τοῦ δάμου ἐν στάλαι καὶ ἀνθέμεν* colligi potest, praeter lapides, in quibus singulis singula decreta exarata erant, tabulas fuisse, qui laterculos omnium civitatis proxenorum continerent. Quanta superficie tales tabulae fuerint, cognoscere possumus e titulo Delphico,[4]) quo centum triginta nomina proxenorum exhibentur. Ordo nominum diversus cogitari potest. In illo indice Delphico, cuius modo mentionem feci secundum annorum, quibus eo honore affecti sunt, seriem recensentur proxeni; in alia tabula item Delphica[5]) per regiones et oppida dispositi sunt.

Proxeniae participes plerumque ii fuisse videntur, qui domi auctoritate permultum valebant, et ita utilitatem Megarensibus afferre poterant. Honore illo fruebantur, quamdiu vivebant; quin etiam in posteros nonnunquam transibat; idque dilucide in titulis nonnullis significatur.

Ex hoc igitur honore magna emolumenta capi potuisse consentaneum est. Et profecto quidem alios honores et privilegia honor ipse continebat. Inter honores sunt habendae appellatio *εὐεργέτου* fere nunquam in titulis omissa, laus, de

---

[1]) Mommsen, röm. Gesch. V. p. 241.
[2]) Lenorm. Rh. Mus. 1866 p. 332.
[3]) Rang. 698.
[4]) Dittenberger, syll. I. No. 198.
[5]) Bull. de corresp. Hell. VII (1883) p. 189.

qua iam verba fecimus, imprimis προεδρία, cuius postea mentionem faciemus; privilegia varii generis atque non exigua erant; atque primum quidem ἀτέλεια[1]), beneficium immunitatis, quae qua in re constiterit, non explicatur; fortasse Megarenses a peregrinis μετοίκιον, quod vocatur, poscebant proxenisque hoc debitum remittebant; fortasse proxenorum erat ad impensas publice faciendas contribuere, atque nonnullis vacatio dabatur; deinde ἀσυλία[2]) terra marique decernebatur; formula solemnis erat: ἀσυλίαν καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν καὶ ἐν πολέμωι καὶ ἐν εἰράναι; tum ἔγκτησις γᾶς καὶ οἰκίας[3]) vel οἰκίας ἔμπασις[4]) — quae verba Rangabéius[5]) οἰκίας ἐπαρχάν legi vult. — Hoc dono proxenis concessum erat, ut domos agrosque possiderent; denique ἐπινομία[6]) semel decreto Aegosthenico tradita atque hoc loco additamentum quasi ad cetera privilegia: εἶμεν δὲ αὐτῶι καὶ ἐπινομίαν. Huic igitur Apollodoro civi Megarensi, greges in pascua publica Aegosthenitarum agere licebat. Huc accedebant interdum κοιναὶ θυσίαι[7]); sacrificiis publicis interesse nisi civibus nemini permissum erat. Itaque Graeci cavebant, ne quis, cui non liceret, spectandi studio ad sacrificia duceretur; quae ratio quo severius adhibebatur, eo major honos inerat in privilegio, quo peregrino ad ea aditus dabatur. Memorabile igitur est, Aegosthenitas toti populo Siphensium, qui antea illos sibi beneficiis obstrinxerat, illud jus tribuisse decreto[8]): εἰς κοινὰς θυσίας, ἃς δαΐζοι ἁ πόλις ὑπάρχειν αὐτοῖς καθάπερ κη τοῖς πολίταις; quo privilegio, qui fruebantur, non solum ad sacra, si libitum erat, accedebant, sed etiam partem carnis accipiebant; quod quidem verbis; δεδόσθαι δὲ καὶ μερίδα αὐτῶι ἐκ τῶν Μελαμποδείων[9]), indicatur. Haec distributio certis legibus constituta esse videtur, atque ut quisque erat summo

---

[1]) Rang. 698, 699 ect.
[2]) Rang. 595. 697. 698 ect.
[3]) Rang. 704.
[4]) Leb. 26 No.
[5]) Rang. 697.
[6]) Rang. 704.
[7]) Leb. No. 1.
[8]) Leb. ibid.
[9]) Rang. No. 704. Bull. de corr. Hell. IX. (1885) p. I. 317.

loco, ita largissime donabatur; qua de ratione apud Athenienses titulo quodam[1]) certiores facti sumus atque inde colligere possumus, quantopere rem religioni habuerint. Nam diligentissime destinatum est, quantum carnis sacerdotibus, magistratibus, pagis, civibus assignandum sit.

Neque vero haec omnia beneficia pro arbitrio populi proxenis singulis aut data aut negata videntur, sed lege praescriptum fuisse, ut qui publici hospitii honore a populo affectus esset, simul illis quoque commodis atque ornamentis frueretur; quo spectant haec titulorum verba: *καὶ τὰ ἄλλα, ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις ὁ νόμος κελεύει*[2]) vel *κατὰ τὸ νόμον*[3]) vel *ὑπάρχειν δὲ καὶ τἄλλα πάντα αὐτοῖς, ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις ὑπάρχοντα ἔστιν καττὸν νόμον*[4]).

De prohedria.

Honorum cum proxenia in viros de Megarensibus bene meritos collatorum, nullius frequentius mentio fit, quam prohedriae; quae qua in re constiterit, optime Suidas[5]) explicat; Vocabant enim Graeci prohedriam jus sedendi in primis sellis, quotiens contiones, ludi, spectacula habebantur. Hic honos apud Megarenses omnibus proxenis destinatus fuisse videtur. Nam titulus[6]), quamvis mutilatus, praebet verba *καλ(έσαι)αὐτὸν εἰς προεδρίαν καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους προξένους.* Megarenses prohedriam in ludis praecipue assignasse verisimile est; quid enim aliter significatur additamento *ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσιν, οἷς ἁ πόλις τίθητι*[7]). Quod attinet ad ludos Megarensium non jam cognosci potest, quot qualesque celebrati sint. Tria solum genera et fortasse celeberrima nobis nota sunt: *Διόκλεια, Ἀλκαθοῖα, Πύθια τὰ μικρά*[8]); quae nunc breviter describam.

---

[1]) Köhler, C. J. A. II 163. Dittenberger syll. 380.
[2]) Rang, 704.
[3]) Rang. 697.
[4]) Leb. 30b.
[5]) Suidas s. v. *προεδρία*.
[6]) Rang. 703.
[7]) Rang. 695. 702.
[8]) schol. ad Olymp. XIII 155.

Διόκλεια celebrabantur in honorem Dioclis[1]) cuiusdam, qui Athenis expulsus Megara transmigravit ibique in omnium favorem venit; maxime autem praedicabatur propter mortem gloriosam. Nam ut erat semper puerorum amans, in pugna juvenem, quo nemo ei carior fuit, clypeo servavit vitamque suam perdidit, quare Megarensium gratiam ita sibi conciliavit, ut splendidissimis exequiis sepeliretur heroicisque honoribus afficeretur; praeterea ludi instituebantur, quorum auctorem cholia ad Aristoph,[2]) Alcathoum exhibent. His igitur ludis quotannis verno tempore ad monumentum herois repetitis certamina imprimis osculandi in usum venerant atque qui vicerat, corona redimitus magnaque amicorum caterva stipatus ad matrem redibat.

Ἀλκάθοἶα. Hi ludi non nisi a Pindaro[3]) et eius scholiasta[4]) commemorantur. Sine dubio dedicati erant Alcathoo, Pelopis filio, de quo Pausanius[5]) nonnulla affert. Megareus enim, Megarensium rex, cum leo terram vastaret, ei qui bestiam interemisset, filiam se in matrimonium daturum esse promisit; quo nuntiato Alcathous periculum subiit terramque liberavit. Victor igitur filiam regnumque dono accepit, atque pio gratoque animo delubra Apollinis et Dianae exstruxit. Ipse autem post mortem in heroum numero habebatur; templumque dedicatum est, cui nomen erat *τὸ Ἀλκάθου ἡρῷον,* ubi erat publicum Megarensium tabularium Pausaniae aetate. — praeterea pugilibus, luctatoribus, pancratiastis, cursoribus ludi instituebantur.

Πύθια τὰ μικρά distinguenda sunt a ludis, qui Delphis celeberrimi erant. In Megaride quoque Apollinis cultus valde vigebat inde ab antiquissimis temporibus, atque templa deo in arce ad mare versa Alcathous exstruxit; qui cum moenia reficeret, delubraque aedificaret Apollinis cithara canentis auxilio usus esse dicitur. Itaque Megarenses deum, cuius in tutela urbem esse voluerunt, valde venerabantur, ludosque in honorem eius faci-

---

[1]) schol ab Thescr. XII, 28.
[2]) schol. ad Aristoph. Acharn. v. 744.
[3]) Isthm. VII 67.
[4]) Schol. Nem. V, 84.
[5]) Paus. I. 41, 3; I. 41, 6; I, 42, 1; I, 43, 4.

endos curabant. Hi ludi usque ad posteriora tempora celebrabantur. Nam e Philostrati[1]) vitis comperimus, Megarenses, cum Atheniensibus interdixissent, ne his ludis interessent, Marci philosophi opera aditum iis patefactum esse.

Imperatorum temporibus nescio au *Πύθια* vel rectius *Πυθάεια* — secundum dialectum Doricam, ut erat Megarensium, et lectionem, quam tituli praebent — interdum in honorem imperatorum facta sint. Nam in titulis legimus, Augustum cum Apolline comparatum[2]) et Hadrianum fortasse eadem de causa — nisi propter restitutam amphictyoniam Delphicam cognomen accepit — *Πύθιον*[3]) appellatum esse; atque si titulus[4]) mutilatus ita suppleri potest, ut sit legendum *Πυθάεια[Σεβα]στε[ῖα π]αγκράτιον*, verisimile est voces *Πυθάεια Σεβαστεῖα* unum idemque certamen significare.

De statuis.

Ab ipsis artis fingendi incunabulis usque ad eam aetatem, qua maxime floruit, artifices Graecorum nihil antiquius habebant, quam ut summo studio atque summa diligentia deorum quam plurima simulacra fingerent, itaque et religioni et patriae decori ac gloriae inservirent. Sed tempori servientes hominum quoque statuas fingere studebant. Imprimis temporibus imperatorum statuae illae dedicatae cumulabantur; atque Megarenses omnibus fere imperatoribus statuas ponendas curaverunt. Velut Augustus[5]) comparatur cum Apolline eique Musis et Caesari signum dedicatur. Hadrianum Dymanes[6]) statua tituloque honorant eiusque uxorem Hadrianidae[7]) et Pamphyli novam Cererem vocant statuaque celebrant; quid multa? sufficit haec exempla attulisse.

Praeterea civibus statuae et monumenta a Megarensibus consecrabantur; atque hic honor solus fuisse videtur, quo

---

1) Philostr. I, 24, 3.
2) expédit. de Morée III p. 69. Lb. 25.
3) C. J. Gr. I. 1072.
4) Rh. Mus. 1857. p. 39.
5) expédit. de morée III p. 69. Leb. 25.
6) Lb. 48.
7) Leb. 59a.

populus civibus de patria bene meritis strenuisque magistratibus gratiam referret. Nam bases statuarum inscriptionibus ornatae nobis exstant, quibus Nomiadae[1]) et Callinici[2]) gymnasiarchorum liberalitas praedicatur; deinde Proclus,[3]) vir ille, qui varios magistratus et curas bene administravit, statua honoratur, cuius basis marmorea cum inscriptione reperta est. Ut alia omittam, duo monumenta[4]) exstant, quibus nomina victorum memoriae posterorum produntur.

---

[1]) expédit. de Morée III p. 67.
[2]) C. J. Gr. I. 1053.
[3]) C. J. Gr. I. 1058.
[4]) Rh. Mus. 1857. p. 330. 339.

Vita.

Natus sum Melchior Thamm in pago Silesiensi Schlaupitz a. d. VIII. Id. Jan. h. s. LX. patre Augusto, matre Paulina e gente Münzberger, quos adhuc superstites esse maxime laetor; fidei addictus sum catholicae; primis litterarum elementis imbutus vere anni MDCCCLXXIII. adii gymnasium Swidniciense, cui Augustus Friede, vir illustrissimus, optime praeest. Maturitatis testimonium adeptus vere anni MDCCCLXXXII, ut in studia philologica incumberem universitatem petii Carolo - Eberhardinam Tubingensem cholassque frequentavi virorum doctorum Rohde, Schwabe, Siegwart. Tubingae cum sex menses commoratus essem, Vratislaviam me contuli acroasesque in Alma Matre Leopoldina audivi virorum clarissimorum Gaspary, Hertz, Praetorius, Reifferscheidt, Rossbach. Vratislavia vere anni h. s. LXXXIII. Halas Saxonum transmigravi ibique scholis interfui virorum illustrissimorum Dittenberger, Erdmann, Gering, Glogau, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Krohn, Neumann, Pott, Schmidt, Stumpf, Vaihinger, Zacher. Keilii, viri doctissimi, benevolentia receptus sum in societatem philologicam, juius sodalibus etiam nunc adnumeror atque ut exercitationibus proseminarii et seminarii philologici interessem. Keil, Hiller, Dittenberger benigne concesserunt; Zacher autem et Gering seminarii theotisci per duo semestria sodalem me esse liberalissime permiserunt; Heydemanni liberalitate mihi contigit, at exercitationum archaeologicarum, quas instituere solet, per quattuor semestria participi esse mihi liceret, praeterea sub auspiciis Neumanni v. ill. ad exercitationes historicas per bis sex menses accedere mihi licuit.

Quibus omnibus viris propter benevolentiam gratias ago quam maximas, imprimis viro humanissimo W. Dittenberger, cuius opera atque auxilio in hac dissertatione componenda maxime usus sum.

6